



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Triduo sequenti de Pastoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

TRIDVO sequenti, agitur de Pastoribus ad praesepe Domini, primò quidem proficiscentibus; tùm ibi subsistentibus; atque inde regredientibus.

DIE XXIX. DECEMBRIS.
DE PASTORVM PROFECTIONE
AD PRAESEPE DOMINI.

*Transseamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum
quod factum est nobis: & venerunt festinan-
tes. Luc. 2.*

VERITAS PRACTICA.

Sicut discursum nostri Intellectus statim sequi debet affectus voluntatis; Ita & affectum, effectus, seu exequutio.

RATIO EST, Quia idcirco statim affectus sequi debet intellectum discurrentem, ne discursus evanescat, sine ullo voluntatis affectu.

Sed nisi effectus atque exequutio statim sequatur affectum, affectus non minus exarescet sine effectu, quam sine affectu discursus.

Ergo perinde sequi debet affectum effectus, atque effectus intellectum; Quod tamen rarum est, & diligenter advertendum.

I. PUNCTUM.

Luc. 2.

Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno; Et dixit illis Angelus, Nolite timere. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

Vide quae plura habentur in textu, & mirare quod ad pastores potius quam ad alios prioris nota homines, dirigantur a Deo Angeli. Expende singulas Angeli voces, atque has praecipue. Et hoc vobis signum: Invenietis Infantem,

pannis involutum, & positum in praesepe. O qualem Christi nati notam! quale insigne Regis Angelorum & hominum, PANNI & PRAESEPE! Adverte, ut in divinis Laudibus quas decantant Angeli, datur Deo gloria, & pax hominibus, unde tu si tibi assumis gloriam quae Dei est, pacem tibi Deus auferet, & erit gloria tua in confusione. Denique observa diligenter quam citò pastores affecti fuerunt ad videndum Infantem, de quo audierant Angelos, & quam citò affectum effectus sequutus fuerit; Sic enim ut Angeli discesserunt, pastores loquebantur ad invicem, *Transseamus usque Bethleem, & videamus quod factum est, & venerunt festinantes.*

Sic plane in Meditationibus intellectum discurrentem statim affectus sequi debet; & affectum effectus. Tota vis Veritatis est in particula *statim*. Nemini enim dubiù est quin aliquando effectus sequi debeat, sed an statim, aut aequè citò atque affectus discursum sequitur; hoc porro est quod pauci norunt, & tamen eadem prorsus est Ratio pro affectu & effectu.

Quid est enim quod tantopere commendatur in meditando, ut affectus statim excitetur post discursum? Nempe ne discursus evanescat, quo evanescente nullus sit voluntatis motus & affectus, ac proinde nullus orationis fructus. Nā cū Voluntas nō moveatur circa bonū suū, nisi prout est cognitum & manifestatū ab intellectu; certe quamdiu ista praesens viget cognitio & manifestatio, magis affectiva erit

M

vo-

voluntas. quam si non esset præsens. Sicut quando è silice scintilla excutitur, debet esse paratus fomes qui scintillam excipiat, ne alioquin pereat: Ita in meditatione exar deficit ignis prout voluntas cum Gratia se opportunè subiicit in fuso Lumini. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*; Hoc est affici, hoc est illustrari & ardere. In quo certè deficient hi de quibus dicitur, *Quia cum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Nonne tu ex his es?*

II. PUNCTUM.

Sed nisi effectus aut exequutio statim sequatur affectum, affectus non minus exarescet sine effectu, quam sine affectu discursus.

Eccle. 3. Est quidem tempus & opportunitas omni negotio, ut ait Sapiens, neque semper ita paratum est & opportunum tempus ut quamprimum afficiamur ad aliquid efficiendum, effectus affectum sequi possit: Tunc certè differendum, & sat citò si bene, Nam ut est in sacris proverbii, *Vbi non est scientia anime, non est bonum: & qui festinus est pedibus offendet*. Verum non est tam frequens hæc præcipitatio, neque tam damnosa, quàm traditas: Vix desunt occasiones rei benè gerendæ, prout in meditatione quotidiana statuitur: quia dum res gerenda statuitur, circumstantiæ loci & temporis prævidentur, quæ tamen quando occurrunt, differtur sæpè effectus, & vix unquam postea revocatur; quandoquidem conceptus in meditatione affectus interim dum effectus differtur, elanguit, neque ita valet ad effectum dilatum exequendum, sicut dum calebat affectus. *Venerunt filij usque ad partum, & viras non habet parcuriens.*

Hoc valde expendendum, sicut facile evanescit discursus, ita & affectus: citò arefcit lacryma, omnis humana voluntas ambulatoria est, **Sap. 4.** *Fascinatio enim nugacitatio obscurat bona, & inconstantia concupiscentia transuertit sensum sine malitia*, Id est, etiam si non adueras nec cogite. Atque inde fit quod dictum est, ut nisi illo ipso calente motu & durante affectu voluntatis, statim effectus & exequutio, dum imperari potest, imperetur, vix unquam fiet, quia mutabitur, aut refrigescet affectus; **Ps. 36.** *Et eris sicut hodie, sic & cras, & multò amplius*, ut ait Propheta; Id est eadem semper peccabis, non conuertèris, non emendaberis, non proficies,

licet ad profectum afficiaris, quia nimis longe disiungis effectum ab affectu.

Hoc est quod Christus Dominus exprobrauit Judæis, qui cum satis benè affecti essent ad prædicationem S. Joannis, quia tamen non statim executio sequuta est illum affectum, nihil illis profuit vel audivisse Joannem, vel in **Co** audiendo commotos esse. *Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius*; Quasi diceret, in hoc citatis, quod vobis satis esse putatis recte in illum affici: oportebat enim ultra progredi, & statim ad effectum prosilire. Quod & alibi explicat clarius dicens; *Publicani justificaverunt Deum baptizati baptismo Ioannis: Pharisei autem & Legisperiti consilium Dei speraverunt in semet ipsos non baptizati ab eo*. O quale est illud; *Consilium Dei spernere*, dum affectum inefficacem reddimus!

III. PUNCTUM.

Sicut ergo discursus intellectus meditantis Veritates propositas statim sequi debet affectus voluntatis, ita & affectus effectus: Quia ut appetitè est demonstratum, par utroque est ratio; neque minus timendum est quod effectus ab effectu dissociatus, nullus sit, quam nullus esset affectus, si affectus à discursu disjungetetur. **Propterea**, inquit Apostolus, *abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte peressumus*. Non modo effluunt & pericunt discursus & affectus, nisi effectus sequatur, sed nos ipsi, quod mitum est, peressumus. Id est, toti consumimur & perimus, quia sine effectu nihil sumus; Unde & Propheta; *Posite corda vestra super vias vestras; seminastis multum, & intulistis parum; comedistis & non estis saturati Et quæ mercedes congregavistis, misistis eas inaccum perisum*. Nonne is se perire diceret, sic perirente mercede sua?

In mente ergo habe, inquit Dominus, *qualiter acceperis, & audieris, & serva, & penitentiam ago, de neglectis scilicet occasionibus, & toties dilatis effectibus*. **Putasti quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?** Sic Tobias Pater de Filio; sic de te Deus, dum nimis tardas. Esto velocior, & funem magis præcinde quam solue.

Vide supra Feriam 3, infra Hedomadam primam Adventus. Et Verbo *Effectum*.

DIE XXX. DECEMBRIS.
DE INGRESSU PASTORVM
IN LOCVM, VBI NATVS EST DOMINVS

*In venerunt Mariam, & Ioseph, & Infantem positum
in præsepio. Videntes autem cognoverunt de ver-
bo quod dictum erat illis, de puero
hoc. Luc. 2.*

VERITAS PRACTICA.

Cum simplicibus sermocinatio eius, seu fami-
liaris communicatio. *Prov. 3.*

*RATIO EST. Quia his se potissimum commu-
nicat Christus, qui se illi totos subijciunt.
Sed simplices sic se, inter alios, Christo subijci-
unt.*

*Ergo & His maxime se Christus communicat.
Quod certè est ad Simpliciteris commenda-
tionem, ac vitij oppositi detestationem illu-
strissimum, & maxime necessarium.*

I. PUNCTUM.

S tibi mirum fuit Pastores præ multis a-
liis vocatos & missos ab Angelis ad vi-
sendum Dominum? magis adhuc mi-
randum apparet, quod illi locum ingres-
si ubi reclinatus erat Infans in præsepio, statim
agnoverunt illum esse Salvatorem & Chri-
stum Dominum, quem Judæi expectabant, &
qualem Angeli nunciaverant. Quam multa
dubiam hanc illis fidem poterant facere! Quis
facile crederet talem Regem nasci ex tam pau-
pere matre, ut non haberet ubi eum reclinaret,
nisi in præsepio. Quis nisi bene persuasus puta-
ret eum Salvatorem aliorum qui necessaria vi-
tæ vix haberet? Quod si Angeli suum illum Re-
gem agnoscunt, cur ei non ministrant; Cur non
transferunt in nobiliorem & commodiorem
locum; Cur non convocant universum mun-

dum ad eum adorandum? Cur non saltem Ju-
dæos omnes, aut certè cur non præcipuos? Cur
potius pastores, viros simplices à quibus coli
non est ita magnificentum & regium, sicut à viris
principibus;

Hæc & similia poterant sibi pastores obji-
cere, atque à credendo retardari; sed nihil hor-
rum occurrit: statim ut vident oculis corpo-
reus puerum, vident oculis mentis Salvatorem
& Christum: Nihil contra discurrunt animo,
nihil ratiocinantur adversum, nihil opponunt
contrarium. Ita se illis intimè & plenè com-
municat Verbum illud infans, ut intus loqua-
tur, intus sermocinetur, intus dicat quod olim
per Prophetam: *Ego ipse qui loquebar, ecce ad-
sum. Erant illi scilicet simplices animo & dociles* *Is. 52.*
biles Dei, quos Christus maxime diligit, qui- *Ioan. 6.*
*buscum sermocinatio eius, & familiaris com-
municatio.*

Admirare, & adora hanc divinam Sapien-
tiam & Bonitatem: Tum ut videas manifeste
quàm sit universim certa Veritas, quæ ex *Prov. 3.*
verbiis proponitur modo consideranda, ex-
pende primam illam Rationis allatæ partem,
quæ dicitur Christum se his maxime commu-
nicare qui se illi totos subijciunt, id est, intelle-
ctu, & voluntate. Nam cum ex iis quæ com-
municat, multa sint quæ superent humanam
intellectum, & quibus etiam naturalis volun-
tas repugnat: certè nisi quis subijciat illi hanc
duplicem animifacultatem, non est aptus tan-
tæ communicationi, nec verò dignus tantæ
familiaritati. *Vade post me satana, scanda-* *Matth. 16.*
lino

lum es mihi, quia non sapis ea qua, Dei sunt, sed ea qua hominum. Hæc si dicta sunt illi viro qui Christo contradicebat in re tam nova & propè incredibili, qualis erat eius futura passio: quid dicitur illi qui repugnat Domino in aliis que à communi sensu minus distant. O homo tu quis es, qui respondeas Deo. VAE qui contradicit fictori suo, testa de samis terra; nunquid dicitur lutum figulo suo, quid facis?

Rom. 9.
If. 45.

II. PUNCTUM.

Sed simplices sic se Christo subjiciunt, intellectu & voluntate.

In hoc enim proprie est simplicitas animi, ut sicut parvulus, non reluctetur, non repugnet, simpliciter credat & faciat quod cognoverit à Domino revelatum & ordinatum. Quod precipio tibi, hoc tantum facito. Domino, ait Moyses, nec addas quicquam nec minuas. Hoc verè est esse simplicem; Atque hinc dicitur in proverbiiis: Abominabile Domino cor prævium, & voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant; Quia hi scilicet sese illi subjiciunt. Hoc disertè S. Joannes Chrysostomus allata similitudine parvulorum: Etiam si, inquit, Regina cum diademate atque purpura parvulis offeratur, non præponunt eam matris, licet pannosa; sic se simplices divinæ fidei & providentiæ totos adducunt, ut licet humilia & abjecta proponantur ad credendum, vel faciendum, iis potius acquiescant quam quæ mundus jactat & offert. Gloria nostra hæc est, inquit Apostolus, testimonium conscientia nostra; quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus, in hoc mundo.

Deut. 11.

Prov. 11.

Hom. 63.
in Matth.

2. Cor. 1.

Rom. 8.

If. 1.

Iob. 5.

L. 6. Mor.
c. 12.

Posse in è ita loquitur quid impedit? quid contritè, se opponit? prudentia illa scilicet carnis que mors est; sapientia illa carnis, qua inimica est Deo. Legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest: ait idem Apostolus; unde illud vè propheticum: Vix qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis in iustis prudentes: Nec minus tremendum illud quod est à Jobum: Qui apprehendit sapientias in astutiis eorum, & consilium pravorum dissipat: per diem incurrant tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Quæ diceretur, sua ipsi sapientia de sapientia sua ipsi si luce cæcantur, dum se volunt regere contra Deum, suis ipsi consiliis reguntur contra seipsos. Quod sanctus Gregorius variis illustrat exemptis. Tu a seipso disce, quam ma-

le tibi cesserit, quoties à Christo discesseris.

III. PUNCTUM.

Pater ergo quam verè dictum sit à Sapiente: Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus igitur sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio sus visitationis illuminas, quos nulla umbra a simplicitatis obscurat. Et sanctus Hieronymus, Sermocinatio inquit, Domini, cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientia secretis illustrat, quos terreni fastus ac dupliciatis nihil habere considerat. Hinc etiam dicit, abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.

Pro 30.

3. 4. pass.
Admō. 12.

In Prov.

Matth. 13.

Denique quid apertius ad rem nostram quæ quod ipsa proclamatur Sapientia: Sentire de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: per versa enim cogitationes separant à Deo, probata autem virtus corripit insipientes, quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabis in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictum.

Sap. 12.

Hinc te agnosce, vix unquam fareberis fictum & simulatum: sed nonne agnoscis te aliquando & sapius in oratione desertum à Deo, & in mediis versari tenebris, ubi alij clara luce fruuntur? Unde hoc putas? Audi iterum Sapientem; Quoniam accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia, fingis te sæpe velle quod non vis, nec velle quod vis. Atque illud ipsum si posses, ipsi Deo affingeres. O plenus omni dolo & fallacia, sicut diaboli, mimice omnis iustitia, non desinis pervertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcæ, non videns solem usque ad tempus. Hæc ad dolosum Apostolus.

Ecclesi 1.

Act. 13.

Deprime magis ac magis cor tuum, ne se nimis offerat, ne tibi nimis credat.

Ecclesi 2.

Vide Verbo, Simplicitas. Prudentia.

DIE XXXI. DECEMBRIS.

DE REDITV PASTORVM, ET RELATIONE EORVM QVAE AVDIERVNT, ET VIDERUNT.

Et reversi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus quae audierant & viderant, sicut dictum est ad illos: Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Nè quid nimis, aut quid minus, cum proximo.

SENSVS & RATIO est, quod ubi aequale apparet periculum incidendi in excessum vel defectum, adhibenda est maxime cura, ut moderatio teneatur, ne quid nimis aut minus fiat. Sed in communicatione cum proximo, tale apparet periculum.

Ergo ibi max. me adhibenda est cura, ne quid nimis, aut minus cum illo fiat, quam debet fieri.

I. PUNCTUM.

Occurrunt hic duo consideranda, quae nonnullam videntur habere oppositionem, unde tamen perutile documentum elicitur. Primum est, quod Pastores à praesepio Domini revertentes, non cessabant omnibus obuiis praedicare, & miris efferre laudibus, quae audierant ab Angelis & viderant in Pueri nato. Alterum vero huic assimilabile est quod Maria & Joseph mirum servarent silentium, ne quae ulli conquin de hoc Mysteriorum verba facerent. De Josepho quidem nihil prorsus habet Evangelista; de Maria autem hoc unum, *Quod conser. vabat omnia verba haec conserens in corde suo*, id est sibi soli intenta, conferebat simul quae ab Angelis & à Pastoribus dicebantur, ut inde vel ad laudandum Deum, vel ad profectum eliciendum excitaretur.

Quid porro est, cur Ipsa non etiam sicut Pastores de his loqueretur, & quae tam mira novit de Filio suo, non communicaret aliis? Aut quomodo Pastores, viri rudes & ignari hoc sibi assumebant? Videlicet ut hinc discas, & loquendum, & silentium. Discè à Pastoribus, opportune loqui de Divinis & spiritualibus; Discè à Maria Matre, de his etiam suo silentio loco, & tempore. Vix aliud est ubi à Viris etiam spiritualibus peccetur frequentius & gravius, quam in horum aliquo extremorum, sive per excessum sive per defectum. Vel enim nimis se suaque communicant, vel non satis. Et dum saepe unum evitare volunt extremum, in aliud incidant. Quamobrem hic maxime servanda est moderatio: *Nè quid nimis, aut quid minus*. Atque ut practica reddatur Veritas, tunc adhibenda praecipue cautio, & attente consideranda Ratio quae id suadet.

Quando scilicet aequale apparet periculum, & par utrinque occasio imminet, incidendi in aliquod extremum, id est, in excessum vel defectum, circa quod vis obiectum: tum vel maxime attendendum, invigilandum, & uno verbo, sic est cavendum, sicut in periculo & occasione peccati; Nam revera omne extremum, quodcumque sit, sive excedens, sive deficiens, vitiosum est; & sicut virtus non consistit nisi in medio quod est inter utrumque extremum, ita nisi servetur hoc medium, plane vitium est & peccatum. Hinc illa S. Gregorij Nazianzeni praecelara sententia: *Virus om. excessus & defectus pora quò labefactans,* Orat. 26.

non fecit ac regulam additio aliqua, vel sub-
 fractio. Sanctus item Hieronymus aptissimè :
*In virtutibus nec Hyperbates nec Ellypses, nec
 plu., vel minus, sed omnia temperata: Et si à
 recta via paululum declinaveris, non interest
 utrum ad dextram vadas, an ad sinistram, cum
 verum iter amiseris.* Propterea toties admo-
 nemur in Scripturis; Ne declinemus ad dexte-
 ram aut ad sinistram, sed per viam quam præ-
 cepit nobis Dominus noster, ambulemus.
 Quo etiam spectant illa Sapientum monita :
*Prudentia tua pone modum. Noli esse justus mul-
 tum, neque plus sapias quàm necesse est, ne fortè
 obstupescas.* Itane tibi caves in omnibus? an
 potius temeiè & inconsultò te permittis cor-
 ruptæ naturæ, quæ semper in aliquod propen-
 det extremum?

II. PUNCTUM.

SED in communicatione cum proximo, par
 est occasio & æquale utrimque periculum,
 ne quid nimis, aut minus fiat.

Nam ex una parte, qui sibi videntur sapere,
 & aliquid nosse de Divinis, profusiores sæpè
 sunt in loquendo, & verendum magnopere
 ne illis accidat quod ait Ecclesiasticus; *Cor-
 futi quasi vas confractum, & omnem sapienti-
 am non tenebit.* Et Sapiens in Proverbiis; *Tò-
 tum spiritum suum profert stultus, sapiens dis-
 fert & reservat in posterum.* Contra quos eti-
 am manifestè Apostolus; *Dico enim per gra-
 tiam qua data est mihi, omnibus qui sunt inter
 vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sa-
 pere ad sobrietatem: Et unicuique sicut divisit
 Deus, mensuram fidei.*
 Ex alia autem parte non minus est periculi,
 si taceas quando loquendum est; *Va mihi quia
 tacui,* ait Propheta. Et Sapiens, *Ne reverearis
 proximum tuum in casu suo, nec retineas ver-
 bum, in tempore salutis, non abscondas sapienti-
 am tuam in decore suo.* Et rursum, *Qui abscon-
 dit frumenta, maledicetur in populis; benedi-
 ctio autem super caput vendentium.* Quod san-
 cti Patres interpretantur de communicatione
 rerum spiritualium, ad quam sanctus Petrus
 nos ita strictè obligare videtur, quàm sanctè
 est obligatus Dispensator dispensare bona sibi
 data in hunc finem; *Vnusquisque, inquit, sicut
 accepit gratiam, in alterutrum illam admini-
 strantes, sicut boni dispensatores multiformis*

gratia Dei. Ac proinde quitam pio desit ope-
 ri, nonne is suo desit officio? Nonne is per
 defectum peccabit, & minus faciet quàm opor-
 teret? Aut si fortè loquaris, si quæ sentis com-
 municas? Nonne supra quàm tibi licet, tu tibi
 sæpè assumes? Nonne plus nimio te efferes?
 Nonne per excessum delinques? Videsne par
 utrimque periculum? Tenè verò vides in ho-
 rum alterutro sic versari, ut vix unum effugias,
 quin devolaris in aliud?

III. PUNCTUM.

NE quid igitur nimis aut minus fiat, agentis
 cum proximo, tanta cura & diligentia est
 attendendum, quanta est præsens occasio & æ-
 quale utrimque periculum, incidendi in alteru-
 trum extremorum, nisi diligenter attendatur.
 Quod Sapiens aptissimè monuit, dum ait,
Qui conatur multa agere, incidet in iudicium:
 tum subdit, *Recupera proximum secundum vir-
 tutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Quali
 diceret, nisi attendas, incides, quia lubricum &
 periculosum est opus.

Tota autem attentio cum ex multis pende-
 at circumstantiis, tum personæ, tum loci &
 temporis, tum etiam modi & finis in agendo:
 Vide hic quæ tuæ partes sint, quæ naturalis in-
 clinatio aut divinæ impulsus gratiæ, in alteru-
 trum ex his duobus? An te nimis aut minus
 quàm par esset, communicas? An fortè nimis
 cum quibusdam, & minus cum aliis? An for-
 tè nimis cum aridè; & minus quando non i-
 ta placet? An fortè nimis cum nobilioribus;
 & minus cum plebeis? Hæc sunt ubi hæcenus
 deliquisti: hæc sunt ubi deinceps ne delinquas,
 attentio est excitanda. Vide distinctius, ubi, &
 quando, & illud tibi applica. *Attende tibi ne
 incidas.*

*Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam
 in lingua mea. Pone Domine custodiam ori meo,
 & ostium circumstantia labiis meis.* In dubio
 factus est minus quàm nimis, *Cessa prior causa
 disciplina, & noli nimius esse, ne fortè offendas.*

Vide infra decimo octavo Januarii. Et in 2.
 parte, tota Hebdomadâ secundâ post octavam
 Paschæ. In tertia verò parte, Hebdomadâ
 decimâ, post octavam Pente-
 costes.

DIE